Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18. Novembris.

M. RAPHAELE MAURIN, Doctore Medico, Præside.

An Cortex Peru-vianus febrium accessionem discutiat attenuando?

VARII & impuri in corpore nostro stagnant humores, qui sensim pravâ visceris alicujus diathesi cumulati, in imis corporum visceribus delitescunt, donec aliquâ causâ externâ aut internâ perciti suscitentur. Diversæ insunt illis qualitates. Biliosi calidam & siccam, pituitosi frigidam & humidam obtinent temperiem, melancholici frigidam & siccam. Suas habent periodos suasque exacerbationes, quæ sæpè certo ordine recurrunt, aliquandò sine typo ægrotantes invadunt. Nunc æstuante cælo alget æger, interdum ambiente frigidissimo excandescit. Tot mutationum causa contentus extra majora vasa humor existit, qui pro ingenitâ propriâque naturâ motus, vel quantitate aut qualitate peccans, functiones naturæ depravat aut intercipit. Spiritus penes quem est in humores dominium, & cujus beneficio coctiones absolvuntur, latitantem in foco pravum humorem lacessit, atque cum copiosus est & firmus, hostem fortiter impetit, debellat; Ast ubi languet & flaccessit, tunc humor naturâ gravis atque infensus, insurgit ferociùs quoquoversum, præcepsque ruit quà data porta. Interim spiritus partibus exterioribus derelictis internas occupat, cum tetro illo humore dimicat, quem paulatim attenuando resolvit, forasque protrudit. Sed cum tantam humoris copiam natura nequeat evincere, ars subsidio venit, præcavetque semper ne lateat doloso cineri ignis suppositus, extincta enim parum fideliter incendia majori flammâ reviviscunt.

PAROXYSMUS qui eodem tempore, certâque periodo singulis alternisve diebus, aut duobus interjectis recurrit, contumacem, diuturnumque morbum significat. Humor qui eum profert, compactæ substantiæ, altiùsque incuneatus est. Febris præsertim Quartanæ author, limus & fæx sanguinis, talis est. Substantiæ enim terrestris cum sit, partibusque constet sibi cohærentibus, lentus moratur, longoque motus intervallo, ægrè dumtaxat dissolvi potest. Bilis quæ tenuis est, etsi siccâ involvatur substantiâ, levi motu se se expedit, alternis diebus naturam adoritur, citiùs movetur, quàm succus melancholicus. Pituita promptiùs exagitatur, cujus molles partes facilè divisæ secernuntur. Interim ab ejusmodi febrilibus succis, cum intus collecti fermentescunt, spirituum motum tantisper sisti, frigus invehi, illorum acredine, membranis quæ invicem compatiuntur, lacessitis, horrorem incuti, ac tandem expanso calore, accessionis solutionem sudore, aut dejectione biliosâ criseos æmulâ, vel insensili transpiratione sequi vides.

SED vis de gradu dejici febrem cum iniquo apparatu? præsto sit, nec tamen intempestivè sumendus cortex Peruvianus. Is calidus & siccus, insigni partium tenuitate gaudet. Ab amarore primarum qualitatum sobole, roborandi virtutis compos est; quo nomine ventriculum in primis juvat, ac hepar, cujus adyta subit. Senibus ne dicam, aut causariis, sed omni ætati tamquam conveniens medicina laudatur, quoties vexat febris præsertim interpolata. Attamen vorax est, quid tum, si cibum jubes interponi? Tunc enim in alimento optimum erit medicamentum, quod chylo sanguinique ipsi mox permixtum, nullibique non penetrans frigidum humorem foco coërcitum incidit; quisquis majoribus vasis vel musculis superest, protrudit; lentum, viscidum, concretum comminuit, qui tenuis factus abit in auras vel in sudores solvitur, maximo naturæ laborantis commodo.

DUM hæc præstat liber febrifugus, cave ab eo humorem figi, porosve constipari putes. Calida ex se succorum crassitiem comminuunt, nec usquam compingere nata sunt, adeoque si quod tenuius est, exhalat; Quidquid etiam superest, aut residere posset, loco moveri cogitur, quoties adjuncti caloris ope illud idem ζυμοῦται? Nullus itaque vasorum osculis infarctus humor relinquitur, aliàs obdurescens diuturnitatem, quidni & schirrum afferret innocens cortex. Tantum abest; faciles redditi atque velut è suis, quibus adhærescebant mordicùs, cuniculis evocati humores, medicamenti motum sequuntur. Hac in re ars antecellit, quæ sic collapsas ægrotantis vires erigit, eòque tutiùs morbum fugat, quò sedulus naturæ imitator Medicus, humorem quò vergit, ducere, ac quomodo decet, tempora magis captare novit, ut ille per convenientes locos secedat.

FEBRES quæ intermittunt, & statis periodis sæviunt, periculo vacant; quæ sine intermissione torquent cum rigore aut horrore, periculi plenæ, maximè si fiant comatosæ. Immò licet illarum vigor plenam excipiat ἀπυρεξίαν, si tamen veterno, admixtisve depravatis motibus convulsivis ægri capiuntur, penè conclamatum esse aliquis diceret, nisi cum horror rigorve febrem præcesserit, obviàm eas adhibito Peruviano pulvere. Ægris optimè consuletur, si catharsis, si venæ sectio præmissæ fuerint. Attamen illa, seu solitaria, seu maceratis unà cortice atque catharticis, forsan seipsâ major, feret omne punctum, quoties ex intervallis, dum propinatur, vino vel aquis infusa Kinakina, crassamento eluendo adhibebitur: sic enim hinc deleto prorsus igne, & inde sublatis radicitùs morbi crassioribus reliquiis pristinæ sanitati ægrotum restitui videas procul ab omni recursus discrimine.

Ergo Cortex Peruvianus febrium accessionem discutit attenuando.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus le Rat.	*M. Franciscus Girard.*	*M. Joannes Garbe.*
M. Ludovicus Labbé.	*M. Josephus Thomasseau.*	*M. Paulus Courtois.*
M. Andreas Enguehard.	*M. Ludovicus Poirier.*	*M. Guillelmus Petit.*

Proponebat Parisiis MICHAEL PICHONNAT, Sampanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1683.